
SUPPLEMENTUM BREVIARII ROMANI QUEBECENSIS.

DOMINICA III. POST PASCHA

IN FESTO SANCTÆ FAMILIÆ

JESU, Mariæ, JOSEPH.

DUPLEX II. CLASSIS.

AD I. VESPERAS.

*Antiphonæ de Laudibus. Psalmi ut in
Officio B. M. V.*

Capitulum. Gal. 4.

FRATRES, quanto tempore hæres par-
vulus est, nihil differt à servo, cum
sit Dominus omnium: sed sub tutoribus
& actoribus est, usque ad præfinitum
tempus à patre.

HYMNUS.

O PAR ingenito, Christe Deus, Patri,
Infans! quem teneris, conjuge cum
sacro,

Mulcet Virgo Parens et colit osculis,

Da cunas propè sistere.

Hic diræ meditans supplicium crucis,

Fletu nostra tuo crimina diluis,

Vagitu misero flectis & æthera:

Pœnas excipis innocens.

Libas purpureum, corpore sanguinem

Exciso, Solymæ fata præoccupas,

Natalique solo non pudet ejici;

Sic ægros, medicus, pias.

Tu, Mater, penetrans, grande sacrarium,

Quid vindex scelerum, quid Deus exigit

Altâ mente vides, jamque tuum, ferox,

Pectus, lancea vulnerat.

Quò te cumque, senex, jussa Dei ferant,

Sponsam cum puero, nec mora, dirigis:

Alto tuque, mones, Christe, silentio
Quid natos decet in patres.

Insudas operi, pauper & indigus,
Templo, qui proceres, Sermo Patris doces;
Tot secreta tegis fronte modestiæ,
Quæsitòr, licet arbiter.

Per Christum puerum maxima laus Patri:

Per Matrem, proprio maxima Filio:

Per Sponsum tibi, laus maxima, Spiritus;

Per Tres gloria sit Tribus. Amen.

v. Verbum caro factum est, Alleluia:

x. Et habitavit in nobis, Alleluia.

Ad Magnificat, Antiph.

Joseph, Fili David, noli timere acci-
pere Mariam conjugem tuam, quod enim
in eâ natum est, de Spiritu Sancto est:
pariet autem filium, & vocabis nomen
ejus JESUM. Alleluia.

Oratio.

DEUS qui salutis æternæ, per Sanctis-
simam Familiam Jesu, Mariæ, Jo-
seph, humano generi præmia præstitisti;
tribue, quæsumus, ut in quâ vitæ autho-
rem nobis similem foris agnovimus, per
eam intus reformari mereamur. Per eum-
dem, &c.

*Comm. Sabbati ante Dominicam ter-
tiam post Pascha.*

Ant. Modicum, & non videbitis me,